

1357
Legatorum
ad Impera-
torem mis-
sorum duo
intercepti.

1358

1359

1360
Laurentius
Celsus Dux
creatur.

Ejus pater
ne cogere-
tur coram
eo caput de-
nudare, a
salutationis
officio absti-
nuir.

1363
Dux Au-
strie cum
Venetis Le-
gatis Vene-
tias venit.

landam fatius duxerunt, quam novo aliquo bello ulciscen-
dam. Positis cum Lodovico armis, tres legati ad Carolum
Imperatorem in Germaniam sunt missi, Marcus Cornarius,
Joannes Gradonicus, & Laurentius Celsus. Causam lega-
tionis hujus in annalibus, quos sequimur, non reperio.
Celfo apud Carolum relicto, reliqui duo, infecta re ob-
quam missi fuerant, inde profecti, quum per Germaniam
adhuc iter facerent, a barbaro Regulo intercepti sunt,
atque in editam arcem latronum receptaculum ignominio-
se abducti. Celsus, audito collegarum casu, averso itine-
re Seniam abiit: inde ad mare flectens, domum incolumis
navigavit. Nec ita multo post is ad præsidium sinus cum
imperio classis missus est. Verno hujus anni tempore cœ-
ptum est in urbe pestilentia laborari.

Ea æstate quæ secuta est, Delphinus anno sui Principa-
tus quinto circumactō moritur: ad Gemellorum fanum
elatus est. Laurentius Celsus absens Dux declaratus ei
successit; confestimque ad eum missi duodecim patricii or-
dinis, qui publico nomine illi dignitatem gratularentur,
quique eum in triremem acceptum Venetias deportarent.
Eum suburbanis littoribus applicantem Senatus obviam
progressus Bucentauro navi excepit. Victor Pisanus ad im-
perium maris in Celsi locum missus est. Ferunt, aliquan-
diu novi Principis patrem ab salutationis officio abstinu-
isse, ne filium nudo capite adire cogeretur: quasi nefas es-
set, parentem civili aliquo officio inferiorem filio videri.
Sed parum ille civiliter, & (ut sic dicam) inerudite.
An ita rerum humanarum patrique moris ignarus ille
fuit, ut non intelligeret, id officium non filio, sed ma-
jestati publicæ, quæ in eo conspiciebatur, præstari? Verum
audiverat fortasse, & sic non omnino accusandus, solere
quæri inter eos qui de officiis differunt, filio ne magistra-
tum gerenti parentem cedere oporteat. Video ethicæ di-
sciplinæ viris non obscuris placuisse, id publice deberi:
domi, & quum in privato agitur, paternæ dignitatis im-
primis rationem habendam. Sub id tempus Austriæ Dux
cum Venetis legatis, quos diximus in Germania interce-
ptos,